

admitti sine licentia speciali sac. congregat. Episcop. neque pro educanda, neque ad probandum institutum. Sacra congreg. Episcop. 8 Octob. 1649, et 8 Novemb. 1632. Si autem ingressa fuit non ad malum finem, postquam exivit, absolvitur cum poenitentia salutari absque ulla poena pecuniaria. Ead. sacra. congreg. Episcop. 20 Novembr. 1654.

(53. Cogere puellas ad ingressum monasterii causa solius educationis, si coactio est illata puellis a non habentibus in illas potestatem dominativam, est peccatum mortale, quia est eis graviter injuriosa. Suarez, tom. III, *De relig.*, l. v, c. 9, n. 4, et alii passim. Si coactio sit illata a parentibus, vel tutoribus, et puellæ sint impuberes, nullum est peccatum, quia utuntur jure, quod habent in filias in illa ætate; si autem sint puberes, talis coactio censetur peccaminosa. Diana, p. II, tract. 15, resolut. 55, cum aliis ibi citatis. Cum enim puellæ majoris ætatis, ut observat Suarez, *l. c.*, sint sui juris in omnibus his quæ pertinent ad statum animæ suæ, non possunt licite, et sine peccato a parentibus cogi ad tam arctam et rigidam custodiam, uti est monasterii clausura; dummodo tamen ad aliquod tempus ratione circumstantiarum, locorum, temporum, et personarum talis ingressus non censeatur moraliter necessarius ad decentiam et custodiam ipsarum.

(54. Cogentes coactione peccaminosa puellas puberes ad ingrediendum monasterium, probabiliter incurrunt excommunicationem latam a Trident., ses. xxv, *De regularib. et monialib.*, c. 18, etiamsi non intendant illas ingredi ad habitum religionis sumendum, aut profitendum, sed solum ut ibi maneant cum habitu sæculari solius educationis gratia, donec occurrat occasio nubendi. Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 104, n. 5, cum pluribus aliis ibi citatis. Zerola, part. II, *Prax. episcop.*, verb. *Moniales*, n. 13; Filliac., tract. 14, c. 6, n. 89; Diana, p. II, tract. 15, et *Miscellan.*, resolut. 66, cum pluribus ibi citatis. Navarr., consil. 56, sub tit. *De sentent. excomm.*, in 1 edition., et consil. 6, sub tit. *De regular.*, in 2 edition.; Suarez, *De censur.*, disp. 23, sect. 5, n. 9; Gavant., in *Manual. episcop.*, verb. *Monialium educatio activa*, n. 1; Tamburin., *l. c.*, disp. 1, quæst. 4, n. 4 et sequ., et alii apud ipsum, *ibidem*, n. 1. Et ratio est, quia concilium Trid. excommunicando cogentes feminas invitæ ad monasterium, tres prohibet coactiones, unam videlicet ad ingressum, alteram ad susceptionem habitus, et tertiam ad emissionem professionis, ibi: « Ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad emittendam professionem, » quæ coactiones, ut vides, sunt inter se distinctæ, prout declarat dictio illa *vel*, quæ stat alternative, et disjungit sensum et verba. Bartol., in *l. Si iis, quæ ducenta*, n. 2, ff. *De reb. dub.*; Natl., consil. 625, vol. IV; Paris., consil. 91, n. 29, lib. II, adeoque ad contrahendam prædictam excommunicationem suf-

ficit sola coactio ad ingressum, quia in alternativis sufficit alterum adimpleri; cap. *In alternativis* 70, De regul. juris, in 6; Rota, part. I *Recent. dec.*, dec. 569, n. 2. Unde Diana, p. II, tract. 15, et *Miscellan.*, resolut. 856, dicit quod optime, sancteque Tridentinum locutum est absolute, quia per illum ingressum datur quodammodo occasio, ut postea puella monasterium ingressa, ob recundiam feminarum, et monialium suasionem suscipiat habitum involuntarie, ut de facto non semel accidit.

(55. Id tamen limitant Sanchez, in *Decalog.*, l. IV, c. 4, num. 12; Portell., in *Addition. ad dub. regularia*, verb. *Moniales*, n. 14; Fr. Emmanuel, in *Summa*, tom. II, cap. 8, num. 10; Hieronym. Roderic., in *Compend. quæst. regul. resolut.* 10, n. 79, et alii, quando talis coactio est in ordine ad suscipiendum postea religionis habitum, et inibi professionem emittendam, sive suasionibus monialium, sive alia ratione, nam cum tali tantum qualitate derogat libertati, quam concilium intendit conservare in puellis ad religionem admittendis, secus vero, si ordinetur ad educationem in habitu sæculari, donec occurrat occasio nubendi; quam opinionem Diana, *l. c.*; Tamburin., *loc. cit.*, et alii vocant satis probabilem, et tutam in praxi, quamvis ipsi primam, ut probabilior, sequantur.

(56. Ordinationes et declarationes ordinario directæ pro monasteriis servari debent etiam in monasteriis subjectis regularibus. Sac. cong. Episc. et Reg. in *Perusina* 8 Apr. 1577. (57. Secus si ordinationes tam pro monachandis, quam pro educandis factæ fuerint ab ipso ordinario, quia hæ non ligant monasteria regularibus subjecta, vel aliter exempta. Ead. sac. cong. Episc. et Regular. in *Vercell.* 8 Martii 1625. (58. Nisi ea, quæ respiciunt clausuram, et ad illam accessum, vel ingressum. Ead. sac. cong. Episcop. et Regul. in *Vicentina* 11 April. 1625, apud Nicolium, in *Flosculis*, verb. *Monasterium*, n. 8. (59. Unde recte censent Cespedes cum aliis ab ipso relatis, *De dubiis regular.*, cap. 33, dub. 337; Pellizar., cum aliis valde doctis a se consultis. *De monialib.*, c. 1, sect. 5, quæst. 13, num. 191, et alii, puellas manentes in monasteriis exemptis non subjacere episcopo, nisi in casibus, in quibus ipsi subduntur moniales exemptæ; quia locus exemptus, et extra diœcesim æquiparantur. *Glossa* in Clementin. 1, *De foro competent.*, et juxta hanc doctrinam sustinent prædicti doctores, et alii non subjacere casibus reservatis ordinario, quod desumitur etiam ex cap. 1, *De privilegi.*, in 6, ubi delictum in loco exempto commissum supponitur extra jurisdictionem ordinarii.

Contrariam tamen opinionem tuetur P. Cajetanus de Alexandris in *Confessar. monialium*, part. I, cap. 7, § 8, quæst. 7, hæc ductus ratione, quia non subjacent monialium reservatis, cum non sint religiosæ; nec cum approbatis tantum a superiore regulari confiteri possunt, nec sunt persona-

liter privilegiatæ, quia non sunt proprie commensales, cum ex suis vivant. *Vide infra* n. 143 et seqq. *

(60. Si aliqua educanda ægrotet cum periculo vitæ, et testari velit, debet concedi licentia notario cum testibus ingrediendi clausuram, prout declarasse sacram congregationem Cardin. de anno 1595, referunt Naldus in *Summa*, verb. *Moniales*, n. 14; Tamburin., *De jure abbatissar.*, disp. 1, quæst. 2, n. 16; Pellizar., *De monial.*, cap. 5, q. 5, n. 193, et alii.

(61. Ubi autem esset sepelienda educanda, si moreretur in monasterio exempto, nulla electa sepultura, variant doctores; Bordonus enim in *Miscellan.*, dec. 128; Pellizarius, *De monialib.*, cap. 10, sect. 3, subject. 1, n. 233, § *Imo puto*; Sanchez, lib. III *De matrim.*, disp. 23, a n. 9; Samuel, *De sepulturis*, disp. 3, tract. 1, controuv. 16, n. 16 et 30, et alii, quibus adhærebam ante infra positam sac. congreg. Concil. resolutionem, sustinent esse sepeliendam in monialium ecclesia; et ratio est, quia educandæ sunt partes ejusdem corporis monasterii, adeoque de eodem jure censendæ sunt; tum quia id colligitur ex concil. Trid. sess. XXIV, c. 11, ubi personæ commensales actu regularium, apud quos domicilium et habitationem habent, gudent eorum juribus et privilegiis, penitusque eximuntur a jurisdictione ordinariorum, ibi: « Exceptis tamen iis qui prædictis locis aut militiis actu inserviunt, et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt; » et cap. 11, sess. XXV, *De regularibus et monialibus*, ubi personas continue commensales, et de familia in monasteriis regularium excipit omnino a jurisdictione episcoporum, ibi: « Præter eas, quæ sunt de illorum monasteriorum, seu locorum familia personæ, tam regulares, quam sæculares: » et favet constitutio Clementis X incip. *Superna*, et decretum sacre congregationis Concil. adduct. sub verb. *APPROBATIO*, art. 1, n. 65. *Vide ibi* usque ad n. 68. Tum etiam, quia jus sepultura ex administratione sacramentorum acquiritur eidem ecclesiæ; unde supracitati doctores volunt in tali casu deberi confessario quartam funeralem, quæ datur propter onus, quod sustinetur in administratione sacramentorum ex officio, cap. *Nos instituta* 1, et cap. *De his 4*, *De sepulturis*, cum similibus; confessarius enim monialium, licet non vocetur parochus, in re tamen est parochus, cum ex officio curam habeat animarum, æque ac si esset parochus respectu sæcularium; imo Bordonus, *loc. cit.*, ubi mordicus hæc tuetur opinionem, addit, quod si dictæ puellæ eligerent in aliena ecclesia sepulturam, funus esset ducendum a confessario, et non a parochus, quia ad illum spectat funus pericere, ad quem pertinet ejusdem funeris inchoatio; ad solum autem confessarium spectat initium funeris, et cadaveris levatio ex monasterio, quia nemo præter ipsum ibi jus habet, cum locus sit omnino exemptus a jure parochiali.

(62. Pignatellus autem, tom. VII, consult.

67, per tot., acriter tenet educandas decedentes in monasterio exempto tumulandas esse in ecclesia illius parochiæ in qua ipsæ habent domicilium: quam opinionem sequitur Mathæucci, *Official. cur.*, cap. 32, Officialis quoad moniales, n. 8 et seq., et probabilem censent Sanchez, *loc. cit.*; Pellizarius, *loc. cit.*, et alii; et ratio est, quia puellæ, quæ ad tempus causa educationis sunt hospites in monasterio, dicuntur peregrinantes; ut desumitur ex l. 1, § *De his qui dejecerint*, ibi: « Tantum autem interest inter habitorem et hospitem, quantum interest inter domicilium habentem et peregrinantem; » adeoque, si tales puellæ sunt peregrinantes, non amittunt parochiam domicilii, neque acquirunt parochiam ratione educationis in monasterio, et consequenter, si contingat eas mori in monasterio, non electa, nec a se ipsis, nec a parentibus, si adhuc sint impuberes, sepultura, debent in propria ecclesia parochiali sepeliri, quatenus tamen non habeant proprium sepulcrum majorum, quia tunc deberent inibi sepeliri, soluta quarta funeralium suæ ecclesiæ parochiali; et si in nulla parochia habent domicilium, neque sepulcrum majorum haberent, nec alibi sepulturam elegerint, dicunt quod tunc essent sepeliendæ in ecclesia illius parochiæ, in qua situm est monasterium, et non in ecclesia monialium: ad quod facit novissima resolutio sac. cong. Concil. in *Feretrana* 11 April. 1742, ubi respondit, « quod educandæ decedentes non sibi electa sepultura, sepeliendæ sint in parochia, sub qua est monasterium, si non habeant sepulcrum majorum. Et si elegerint sepulturam in monasterio, possint ibi sepeliri, sed deberi quartam funeralem parochiæ: » *Vide* verb. *MATRIMONIUM*, art. 9, a n. 115 ad 121, et infra in hocce art., a n. 126 ad 129. (63. Quod dicitur de educandis, id ipsum dicendum est servata proportione, de tumulatione mulierum sæcularium in monasteriis monialium legitima facultate commorantium, et inibi decedentium. *Vide* etiam verb. *SEPULTURA*, a n. 31 ad 32.

(64. Puella, ut legitime recipiatur ad habitum religionis, requiritur consensus superioris, et monialium per secreta suffragia, ut pluries decrevit sac. congreg. Episcop. et Regular., et signanter in *Amelien.* 4 Januarii 1608; in *Placentina* 6 Februarii, et in *Hierac.* 8 Maii 1615. (65. Qui consensus monialium debet esse majoris partis. Eadem sacra congreg. in *Assisien.* 19 April. 1603; in *Camerin.* 4 Januar. 1608; in *Atrebaten.* 30 Septembr. 1616. (66. Puella ad habitum religionis recipienda est ab episcopo, vel ejus deputato exploranda an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat, et hujusmodi, Conc. Trid., sess. XXV, *De regularib. et monialib.*, cap. 17. Et hoc etiam in monasteriis regularibus subjectis, ut sæpius declaravit sac. congreg. Concil., et signanter die 13 Novembr. 1627, et in *Dertonen.* 16 Decemb. 1645. Nec potest in dictis exemptis monasteriis ad habitum admitti sine prævia licentia episcopi in scriptis, ut declaravit sacra

congregat. super Episcopis, et Regularib. per hæc verba: « Al vescovo di Brescia. Altre volte dalla sac. congregazione è stato risoluto, che ne' monasterj di monache anche esenti, e soggetti al governo de' regolari non possano introdursi Zitelle Monacande, senza che vi preceda l'accettazione delle suore capitolarmente, e per voti segreti per un luogo vacante dentro il numero prefisso, e la licenza in scriptis dell' ordinario; ora sentendosi dalla lettera di V. S. che ne' monasterj soggetti agli abbat Cassinensi si pretenda da superiori di essi di potere fare altrimenti, e di non aver bisogno del suo consenso, questi eminentissimi miei signori inerendo alle risoluzioni suddette, mi hanno comandato di scriverle, che ella non solo non lo permetta, ma in caso di contravvenzione proceda contro i trasgressori alle pene canoniche, ed alla censura di violata clausura. Glielo significo, ed Iddio la prosperi. Di Roma al primo di Luglio del 1650. » Sic refert, et tenet Pignatell., tom. IV, consult. 171, n. 5; Cajetanus de Alexandris, in *Confessorio monialium*, cap. 2, § 1, quæst. 13, et tradit Monacell., tom. II, tit. 13, in formula 5, vers. *Proibiamo*, ibi: « Ed alle superiori, e superiori, e monache de' monasterj soggetti a regolari, o in altra maniera esenti, di ammetterle, ed accettarle come sopra, se prima non sarà stata da noi esplorata la loro volontà, ed ottenuta la nostra licenza in scritto, sotto pena ec. » Et ratio est, quia id pertinet ad clausuram monialium, cujus conservatio episcopis demandatur per S. concilium Trid. sess. xxv, *De regularib.*, cap. 5, et per constitutionem Gregorii XV incip. *Inscrutabili*. (68. Unde potest episcopus sub censuris præcipere monialibus etiam exemptis, et earum superioribus, ne recipiant puellas ad habitum, nec ad professionem, nisi prius sit ipse certioratus. Sac. congr. Concil. in *Limana* 19 Novemb. 1625; in *Burgen.* 4 Decemb. 1627, et in *d. Derton.* 16 Dec. 1643. Vide ad rem resolutionem sacræ cong. Concil. in Papiensi allatam in tom. IX, in *Appendice ad Decret.*, sub n. 257, ad 1 dub. (69. Hanc tamen voluntatis puellæ explorationem, non potest Ep. postquam fuit certioratus, differre ultra 15 dies, alias superiores exempti, ipsis 15 diebus elapsis, possunt, eo inconsulto, ad receptionem, et admissionem procedere, juxta S. Pii V constitutionem 41 incip. *Et si mendicantium*, § 6, ubi sic habet: « Volumus etiam, quod puellarum Deo dicandarum, an scilicet coactæ, vel seductæ fuerint, examen faciendum non nisi infra 15 dies, postquam juxta concilium Tridentinum episcopi, vel eorum vicarii requisiti fuerint, fieri possit, quibus elapsis, amplius in hoc se illis intromittere non liceat, cujus occasione, nec episcopus, nec ejus vicarius intra septa monasterii ingrediantur, sed stent ante cratem ferream, et interrogationes alias, quam eas, quas præfatum concilium Tridentinum jubet eis fieri, omnino prohibemus. Ac similiter volumus quod puellæ, seu novitiæ ipsæ ad alias interro-

gationes respondere minime teneantur: » Et sic tenet, et refert etiam Barbosa *ad Concil. Trident.*, sess. xxv, *De regularibus et monialibus*, cap. 17; Monacell., p. II, tit. 13, formul. 5, n. 12, et alii passim. (70. Defectus explorationis voluntatis non irritat receptionem et admissionem. Sac. cong. Concil., teste Fagnan. et Pascuc. citand. infra n. 95.

(71. Puella ad habitum recipienda debet prius per decem dies continuos spiritualibus exercitiis operam dare, prout jussit Innocentius XI, litteris encyclicis sacr. congregat. 9 Octobris 1680.

(72. Puellæ, quamvis ad habitum recipi possent olim post annum 12, ex c. 1 et 2, caus. 21, q. 2; cap. *Ad nostram* 8, et c. *Significatum* 11, *De regularib.*; Clementin. *Eos*, eod. tit., et ex Tridentino, sess. xxv, *De regularibus*, cap. 17. Tamen hodie non possunt admitti ad habitum religionis, nisi habeant 15 annos completos, ut expresse decrevit sacr. cong. Episcop. et Regul. 23 Maii 1659, quod decretum referunt per extensum Nicol., *Lucubration. canonic.*, l. III, tit. 31, *De regularib.*, n. 34, vers. *Unde*, et Passerin., *De statu hom.*, tom. III., q. 189, n. 17, et se vidisse originaliter in libris secretariæ testatur Monacell., part. 1, tit. 11, formul. 7, n. 3, ubi n. 5, subdit, quod post publicationem dicti decreti praxis universalis obtinuit recurrendi ad Sedem Apostolicam, quoties aliqua puella ferventi devotionis spiritu ducta cupit religiosum habitum suscipere ante dictam ætatem completam 15 annorum; et Papa, cui preces diriguntur, vel ipse dispensat, vel remittit ad arbitrium ipsius sacræ cong. quæ juxta meritum postulantium, et præsertim nobilium, gratiam concedit pro octo, vel decem mensibus; vel, si immediate preces sint directæ sacræ congregationi, solet rescribere « pro gratia, si Sanctissimo placuerit, » prout ita rescripsit pro nobili puella *Mantica Amerina*, sub die 18 Novemb. 1693, ac in reformatione « constitutionum monialium Cotignolæ Faventin. diocesis 8 Octobris 1689, servari mandavit; » Unde concludit, caute legendos esse doctores, qui dispositionem juris sequentes scripserunt posse puellas habitum religionis suscipere ante ætatem quindecim annorum.

(73. Antequam puella habitu religioso induatur, debet esse confirmationis sacramento munita, Conc. Mediolan. Provinc. III; Gavant., in *Manual. episcop.*, verb. *Monialium receptio*, n. 36; Tamburin., *De jure abbatiss.*, disp. 4, quæst. 4, n. 1, testans sic decrevisse sacram congregationem. (74. Debet ei imponi nomen sanctæ, non gentilis feminae. Gavant., *loc. cit.*, n. 3, ex concil. Mediolanen. I; Tamburin., *loc. cit.*, n. 3. (75. Debet ei imponi, ut vocetur titulo sororis, et non domnae, seu vulgo *suor*, et non *donna*. Sac. congregat. Episcop. et Regular. in *Toletana* 9 Januar. 1595, apud Barbosa in *Summa apostol. decis.*, verb. *Monialis*, n. 10, et lib. 1 *Jur. Eccles. univers.*, cap. 44, n. 65, et apud Tamburin., *loco cit.*, n. 2.

(76. Novitiæ omnes debent degere sub

cura, et regimine magistræ in habitatione particulari, in qua præter magistram cum socia nulla professa degat. Sac. congr. Episc. et Regul. in *Comen.* 10 Martii 1593. (77. Unde episcopus præcipere potest monialibus etiam exemptis, etiam regularibus subjectis, ut habeant locum separatum et commodum pro novitiis et puellis educandis, et potest prohibere, ne illas extra dictum locum teneant ex quovis prætextu, etiam licentiæ superiorum. Insuper decernere et declarare potest quod abbatissæ et priorissæ, quæ tempore sui officii in hoc defecerunt, ad illud officium in futurum amplius eligi non possint. Et etiam quod moniales particulares cujuscunque monasterii, quæ recipiunt novitias, vel puellas educandas in suis cellis sint ipso jure voce activa et passiva privatæ. Sac. congr. Episcop. et Regul. in *Patavina* 21 Junii 1605. (78. Hinc prohibetur puellas ad habitum suscipi in illis monasteriis, quæ non habent locum distinctum, et separatum pro novitiatu. Sac. congr. Episcop. et Regul. in *Florentina* 12 Januarii 1629.

(79. In habitu sæculari fieri non potest novitiatus. Sac. congr. Episc. et Regul. in *Senogallien.* 17 Aprilis 1602. (80. Tempus, sive annus probationis debet esse continuus, et incipit a die assumptionis habitus, non acceptationis monialium. Sac. cong. Episc. in *Parmen.* 23 Maii 1608. (81. Alimenta pro anno novitiatus debentur etiam a numerariis. Eadem sac. congr. Episc. in *Lauden.* 1 Febr. 1585. Nisi sacra congr. det licentiam investiendi dotem pro novitia, quam illa solvere nequit. Ead. sac. congr. in *Lauden.* 9 Novemb. 1645.

(82. Ordinarius nullo pacto compellere potest moniales ad acceptandas puellas, neque ad habitum, neque ad professionem, licet haberent licentiam Sedis Apostolicæ. Sac. congr. Episcop. in *Assisien.* 20 Maii 1601; in *Capuana* 7 Novemb. ejusdem anni; in *Marsicana* 26 Martii 1602; in *Firmana* 17 April., et in *Mutinen.* 4 Septembris ejusdem anni. Acceptatio enim puellarum ad habitum religionis pertinet libere ad moniales, et episcopus, præter voluntatis explorationem, nihil aliud facere potest, ut respondit sacr. cong. Episcop. in *Placent.* 6 Febr., et in *Hierac.* 8 Maii 1615.

(83. Novitia infirma morbo contumaci remittitur curanda domum. Sac. congregat. Episcop. in *Neapolitana* 14 Decembr. 1593 et 4 Augusti 1597. (84. Eo pacto, ut reversa reincipiat novitiatum a capite. Ead. sac. congr. in *una Venetiarum* 14 Decembr., 1605; in *Tranen.* 15 Septemb. 1634, 15 Febr. 1645 et 21 Aprilis 1646. (85. Sed, si novitiatus annus expleverat, posteaque ex causa supradicta de consensu monialium, et superioris exiit, potest, cum redit, admitti sine novo novitiatu. Sac. cong. Episc. in *Neapolitana* 8 Novemb. 1619. (86. Novitia, quæ exiit ab uno monasterio ad profitemdum in alio, debet reincipere novitiatum a capite. Sac. congr. Episcop. in *Ravennaten.* 10 Junii 1603 et in *Messana* 27 Octobr. ejusdem anni.

(87. Novitia debet per annum cum habitu regulari in probatione permanere, ex decreto concilii Tridentini sess. xxv, *De regular. et monial.*, cap. 15. Alias professio erit irrita, ut ex eodem concilio *loc. cit.*, docent communiter doctores cum Barbosa, *ad idem concilium Trid.*, de sess. xxv, cap. 15, n. 15; Tambur., *De jure abbatiss.*, disp. 4, quæst. 4, n. 8. (88. Et annus probationis debet esse completus de momento in momentum, alias professio esset nulla, ut colligitur clare ex Tridentino, sess. xxv, *De regul. et monialib.*, cap. 15, nullam declarante professionem illius, qui « minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit; » quod indicat, annum probationis debere esse integrum, et completum de momento in momentum, ut expresse declaravit sac. congr. Conc. 1 Februar. 1631, et jam sub die 21 Januarii 1617 declaravit professionem emissam a regulari, non completo anni circulo, etiam per duas horas tantum non valere. Vide verb. ANNUS PROBATIONIS, a n. 25.

(89. Novitia non potest professionem emitte ante annum 16 completum, alias antea facta est nulla; sic expresse conc. Trident., sess. xxv, *De regularib. et monialibus*, cap. 15, ibi: « In quacunque religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum... Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis observationem, aut alios quoscunque effectus. » (90. Anni sexdecim ad professionem requisiti debent esse completi de momento ad momentum: unde si professio fiat per aliquot tantum horas ante completum annum decimum sextum ætatis, est nulla, sicuti supra sub n. 88 dictum est esse nullam, si fiat per aliquot horas ante completum novitiatus annum, ex conc. Trid., cit. sess. xxv, c. 15, et ex declaratione sacræ congregationis ejusdem concilii, et tenent communiter doctores cum Panimol., dec. 29, n. 7; Matthæucci, *Offic. cur.*, c. 32, n. 2; Fagnan., l. III *Decretal.*, in c. *Ad nostram* 9, *De regularibus*, n. 9, 23, 24 et seq., usque in finem. (91. Ætas autem incipit a die natalitatis, et non a die baptismi. Sac. cong. Concilii in *Croton.* 4 Decemb. 1627.

(92. Novitia ante professionem debet explorari quo ad ejus voluntatem ab episcopo, seu ejus deputato. Concil. Trident., sess. xxv, *De regular. et monialib.*, c. 17. (93. Et hoc etiam in monasteriis regularibus subjectis, ut sæpius declaravit sac. congreg. Concilii, et signanter die 13 Nov. 1627 et in *Dert.* 16 Decemb. 1645. (94. Episcopus postquam fuit monitus, non debet differre explorationem voluntatis novitiæ ultra quindecim dies, alias superiores exempti, ipsis 15 diebus elapsis, possunt procedere ad admissionem professionis, ut ex cit. constitut. S. Pii V incipient. *Mendicantium*, adducta supra n. 69, tenet Monacell., p. III, tit. 13, formul. 6, n. 12, et alii passim. (95. Defectus hujus explorationis non annullat professio-

nem, Barbosa, *De offic. et potest. episcopi*, p. 4, allegat. 100, n. 9; Tambur., *De jure abbat. disp.* 3, q. 2, num. 11; Donat., *De regul.*, t. IV, tract. 9, q. 8, n. 8; Nicol., *Lucubrat. canon.*, l. III, tit. 1, *Devota et honest. clericor.*, n. 22, vers. *Si vero*; Monac., *l. c.*, n. 12, in fine; Fagnan., l. I *Decr.* in c. *Cum accessissent* 8, De constitutionibus, n. 31, et l. v, c. *Qui presbyterum* 2, De penitent. et remiss., n. 84, testans sic declarasse sacram congregation. Concilii; Pignatell., t. VI, consult. 85, n. 211, testans sic declaratum fuisse in una Venetiarum 21 Sept. 1593 et 22 Novembris 1593.

(96. Novitiæ in articulo mortis constitutæ, etiam anno novitiatus non completo, possunt professionem emittere, dummodo sint in legitima ætate; sic expresse concessit S. Pius V novitiis monialibus S. P. Dominici, constit. incip. *Summi sacerdotis cura*, qua concessione gaudet per communicationem novitiæ et novitiæ aliarum religionum. (97. Si tamen hujusmodi novitiæ convaluerint, debent iterum profiteri. Sic censuit sacr. congreg. Concilii in una ordinis S. P. Francisci Minor. *Observ.* die 20 Maii 1649, ad cap. 16, sess. 25, *De regul.*, apud Pignatell., tom. I, consult. 356.

(98. Talis autem professio emissa a novitiæ in articulo mortis anno novitiatus nondum completo, non suffragatur, nisi quoad acquisitionem indulgentiarum favore profitentis, non autem quoad acquisitionem dotis favore monasterii, cum ipsa debeat restitui ejus consanguineis hæredibus, ut declaravit sacr. congreg. Concilii in una Montis Regalis 13 Novembris 1627; in *Carpentoracten.* 14 Junii 1641, et in una Neapolitana 14 Martii 1705, et tenent Donat., *Prax. rerum regular.*, tom. IV, tract. 10, quæst. 21, per tot., Pignatell., t. I, consult. 346; Monacell., part. I, tit. 11, formul. 7, n. 13, et part. II, tit. 13, formul. 5, n. 13; et Fagnan., lib. III *Decret.*, in cap. *Sicut nobis* 17, De regularibus, n. 30, et alii. (99. Si autem talis professio in articulo mortis sit emissa in manibus abbatis anno probationis jam integre completo, tunc dos acquiritur monasterio, licet professio emissa fuerit, inscio ordinario, quia tunc nihil deficit ad substantiam veræ professionis; Donat. d. tom. IV, tract. 10, quæst. 23; Pellizar., *De monialibus*, cap. 9, numer. 28; Monacell., *locis citatis*, et alii. (100. Riccius vero, *Prax. rerum quotidian. for. ecclesiast.*, part. II, resolut. 493, secundum Venet. impressionem, 1674, n. 5, citatus, et secutus a Monacell., part. II, tit. 13, formul. 5, n. 14, tenet, quod professio emissa etiam post annum probationis a puella phthisica, seu hectica non prosum monasterio quoad acquisitionem bonorum, et ad longum probat, ut videri potest apud ipsum, et Monacell., *locis citatis*.

(101. Quamvis professio monialium in manu ordinarii principaliter, non autem abbatis fieri debeat, ex decreto sacræ congregat. Episcoporum in *Lingonien.* 22 Februarii 1635. (102. Tamen, si fiat in manu superiorissæ de consensu majoris partis ca-

pituli est valida: cum superiorissa de se sola cum dicto consensu majoris partis monialium illam possit recipere, nisi obstant peculiare constitutiones religionis; de jure enim monialium receptio non spectat ad ordinarium, sed ad abbatissam, et monasterium, ut cap. *Si ad solum* 6, De regularibus, in 7, et ibi notant Joann. monachus et archidiaconus, et tenet Lupus, allegat. 33, incip. *Prima conclusio*; Fagnan., in cap. *Porrectum* 13, De regularibus, n. 30, cum aliis ibi citatis, Navarr., consil. 9, n. 12, *De constitut.*; Monacell., part. I, tit. 11, formul. 6, n. 14; Sanchez, lib. V *Moral.*, cap. 4, n. 76; Pellizar., *De monialibus*, cap. 3, n. 7, et alii plures cum Tambur., *loc. cit.*, disp. 6, quæst. 5, n. 1, arg. cap. *Consuluit* 4. Qui clerici, vel voventes, ubi dicitur, feminam quamdam, quæ, dimisso habitu regulari, nupsit, valide nupsisse, eo quod professio non fuerat in manu alicujus episcopi, vel abbatis, vel abbatissæ, quod clare supponit abbatissam posse valide ad professionem moniales admittere, ut notant ibi doctores; unde cum abbatissa monasterii, et prælatus illius quoad acceptandam professionem monialis novitiæ se habeant cumulative, adeoque inter illos dari possit veluti præventio, servanda est in hoc consuetudo uniuscujusque ordinis, provincie, aut loci, quæ varia est.

(103. Nec valet dicere cum Miranda in *Manual. prælator.*, tom. II, quæst. 28, art. 1, et aliis abbatissas non posse professionem novitiarum recipere sine suorum prælatorum licentia, quia ut recte notat Fagnan., in cit. cap. *Porrectum*, n. 31, id non probatur jure, et in monasteriis subjectis ordini Fratrum Minorum S. Francisci id specialiter cautum est a Nicolao V, ut refertur in *Compend. privileg.*, in verb. *Abbatissa*, § 8, et ideo notanter fuit dictum in conclusione: « Nisi obstant peculiare constitutiones religionis. »

(104. Episcopo, vel alio prælato, seu superiore jubente recipi novitiæ ad professionem, contradicente majori parte monialium, non debet admitti: non enim superior potest ad id moniales compellere, ut pluries decrevit sacræ congreg. Episcop. et Regul., ut patet ex decretis citatis supra n. 82. (105. Et si ordinarius ad id eas compelleret, possent ad superiorem appellare. Fagnan., in cit. c. *Porrectum*, n. 30; Tamburin., *De jure abbat.*, disp. 6, quæst. 5, n. 3. Archidiacon. Bellem. Turrecrem. ibi citat. et alii passim per text. in c. 1, De his, quæ fiunt, a majori part. cap. (106. Et si superior de se cum minori parte, reclamante majori parte monialium, novitiæ ad professionem admitteret, professio esset nulla. S. cong. Episc. in *Coloniën.* 26 Septembr. 1653; Lupus, alleg. 33, incip. *Prima conclusio*; Fagn., in cit. cap. *Porrectum* n. 30; Matthæuc., *Official. cur.*, c. 41, n. 19 et 20, et alii passim per text. in cap. *Novit.* 4, cap. *Quanto* 5, c. *Eanoscitur* 6, De his quæ fiunt a prælatis sine consensu capituli.

(107. Moniales nullo modo per juramentum, vel censuras cogendæ sunt ab ordinario ad exprimendam causam cur aliquam

novitiæ a professione rejiciant: sed si secreto interrogatæ idoneam repulsionis causam non afferant, et in sua contumacia perseverent, ordinarius debet facere certiores sacram congreg., ut de opportuno remedio confestim provideri possit. Sac. cong. Episcop. et Reg. in *Pampilonen.* 5 Nov. 1605. (108. Quæ solet jubere iterum convocari capitulum, dummodo monialibus pro extorquendis votis vis non inferatur; Ead. sac. congregat. Episcop. in *Assisien.*, 19 Januarii 1701, et in *Januen.*, 6 Martii 1698. Et si necesse sit, solet jubere, ut ordinarius secreto, et ex improviso se conferat ad monasterium, ubi procedat suffragia per moniales libere dari. Eadem sacra congreg. Episcoporum in *Pistorien.* 30 Junii 1620.

(109. Rejicere autem a professione novitiæ non possunt moniales sine justa causa. Eadem sac. congregat. Episcop., 2 Octobr. 1649, alias graviter peccant, ut tradunt communiter doctores.

(110. Abbatissa, seu superiorissa in monasteriis non exemptis tenetur ante mensem certiores facere episcopum professionis a novitiæ emittendæ, alias potest suspendi arbitrio ipsius episcopi. Concil. Trident., sess. xxv, *De regularib. et monialib.*, cap. 17, ibi: « Ne professionis tempus episcopus ignoret, tenetur præfecta monasterii eum ante mensem certiores facere, alias, quandiu episcopo videbitur, ea ab officio suspensa sit. » (111. In monasteriis vero exemptis tenetur ipsum certiores facere solum ante 15 dies, quibus elapsis, nequit episcopus amplius se ingerere, et superiores exempti possunt sine alio ad admissionem professionis procedere; S. Pius V, constit. incip. *Etsi mendicantium.* Vide supra n. 69 et 94.

(112. Secunda soror in loco numerario admitti potest sine licentia sacræ congregationis, præterquam in civitate Florentiæ, ubi prohibetur per breve Clementis VIII. Sacra congregat. Episcop. in *Forolivien.* 26 Nov. 1603; in *Imolen.* 10 Nov. 1620. (113. Tertia tamen soror recipi non potest in eodem monasterio, licet regularibus subjecto, sine licentia sacræ congreg. Eadem sacra congregat. Episcoporum et Regular. in *Arantina* 4 Novembr. 1597; in *Mutinen.* 11 Aprilis 1700. (114. Tertia soror vocem activam, et passivam non habet, nisi post mortem alterius ex primis. Eadem sac. congregat. Episcoporum et Regular. in *Neapolitana* 21 Junii 1636 et sæpe alibi. (115. Potest tamen tertia soror habere alia officia, quæ dantur extra capitulum sine suffragiis monialium. Eadem sacra congregat. Episcoporum. in *Mutinen.* 11 Aprilis 1600. (116. Tertia, et quarta soror habent præcedentiam a die professionis, sicuti alia. Eadem sacra congregat. in *Mutinen.* 11 Aprilis 1600. (117. Sæpe sæpius tertiis sororibus solent voces concedi ex gratia, maxime ubi magnus est numerus monialium. Eadem sacra congreg. in *Januen.* 6 Martii 1606; in *Crem.* 10 Junii 1650 et sæpe alibi.

(118. Monialis supernumeraria non potest admitti sine licentia sacræ congregat. Sacr.

congregat. Episcop. die 6 Febr. 1615; Greg. XIII, constit. incip. *Deo sacr.* (119. Monialis supernumeraria remaneat semper supernumeraria, ita ut non impediatur quin, moriente aliqua de numero, possit alia ad habitum admitti: ipsa tamen in cæteris juribus remanet æqualis omnibus aliis. Sac. cong. Episc. 6 Sept. 1604.

(120. Excommunicantur omnes, qui quomodocunque virginem, vel viduam, et aliam mulierem coegerint invitam ad ingrediendum monasterium, vel habitum suscipiendum religionis, vel ad professionem emittendam. Conc. Trident., sess. xxv, *De regul. et monialib.*, c. 18. (121. Item ii qui consilium, auxilium, favorem dederint, quique scientes eam non sponte facere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Tridentinum, *ibidem.* (122. Non excommunicantur, ii, qui per vim inductivam, non coactivam, coegerint virginem monasterium ingredi. Sic decisum refert Barbosa, *De offic. et potest. episcopi.*, p. III, allegat. 104, n. 3, et supra concil. cit., sess. xxv, c. 18, n. 5. Armendariz apud ipsum, *ibidem.* Excommunicantur et ii, qui sanctam virginem, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittenti quoquo modo sine justa causa impederint. Tridentinum, *ibidem.*

(124. Alia ad rem, vide art. seq. et verb. *Novitius, Novitia*, et verb. *Professio.*

(125. Quoad decisionem sac. congreg. conc. in *Feretrana* 21 Aprilis 1742. relatam supra n. 62 advertendum est, quod fuerunt tunc proposita tria hæc dubia:

« I. An ven. monasterio monialium S. Claræ Terræ Maceratæ Feltriæ liceat sepelire in ejus ecclesia cadavera puellarum educationis causa ibidem commorantium et in eodem monasterio decedentium et quatenus negative.

« II. An sit restituendum parrocho ejusdem terræ cadaver Annæ Bartoli educationis causa in dicto monasterio degentis, ibique defunctæ et sepultæ; sive saltem facienda sit declaratio de retinenda nomine parochiæ.

« III. An eidem parrocho restituenda sint cum cera integra emolumenta funeris ejusdem Annæ Bartoli in casu, etc. » Et dicta sac. cong. Conc., 21 April. 1742, respondit: « ad I: *Affirmative*, constit. de electione sepulturæ; Ad II: *Negative*; Ad III: deberi quartam funeralem tantum. » (126. Et jam de simili controversia actum fuerat in *Pinnen. sepultura* 6 Julii 1737 (ubi tamen ea concurrebat peculiaris circumstantia, quod puella sepulturam elegerat in ecclesia monasterii) et propositis hisce dubiis:

« I. An licuerit tumulare cadaver Mariæ Nollæ in ecclesia monialium S. Claræ civitatis Pinnæ? Et quatenus negative.

« II. An sit locus exhumationi et respective restitutioni cadaveris una cum funeris emolumentis favore ecclesiæ collegiatæ S. Joannis Evangelistæ ejusdem civitatis in casu, etc. » Et sac. congregat. Concil. rescripsit: « Ad I: *Affirmative*; Ad II: *Pro-*